



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Nouo Testamento Quatuor Eua[n]=||gelia**

**Erasmus, Desiderius**

**Erphordie, 1520**

**VD16 B 4591**

Capvt. XXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34488**

inijete, timuerunt turbas, quoniam tanquam prophetam eum habebant. Et respondens Iesus, iterum dixit eis per parabolas, & ait.

¶ CAPVT. XXII.

Imile factum est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & emisit seruos suos, ut vocarent inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. Rursus emisit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paratum, & altilia mactata sunt, & oia parata, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negociationem suam. Reliqui vero tenuerunt seruos eius, & contumelios affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Tunc ait seruis suis: Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui inuitati erant non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quotcumque inueneritis, vocate ad nuptias. Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes quotquot inuenerunt, malos pariter ac bonos, & implete sunt nuptiae discumbentibus. Ingressus autem rex ut videret discumbentes, ubi vidit illic hominem non vestitum veste nuptiali, ait illi: Amice, quomodo huc intraisti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis pedibus & manibus eius, mittite eum in tenebras exteriores. ibi erit fletus, & stridor dentium. multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Tunc abeuntes pharisaei consilium coeperunt, ut illaquearet eum in sermone. Et ad illum emittunt discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quod verax sis, & viam dei in veritate do-

SECUNDVM.

ceas, neq̄ cures quenq̄, Nō enim respicis personam hominum.  
 Dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet census dari Cæsari, an  
 non? Cognita autē Iesus malicia eorū, ait: Quid me tentatis hy-  
 pocritæ? Ostendite mihi nūmisma cēsus. At illi obtulerūt ei de-  
 nariū. Et ait illis: Cuius est imago hæc, & inscriptio? Dicunt ei:  
 Cæsaris, Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari:  
 & quæ sunt dei, deo. Et his audit is, mirati sunt, & omisso eo abie-  
 runt, In illo die accesserunt ad eū Sadducæi, qui dicunt non esse  
 resurrectionē, & interrogauerūt eum, dicentes: Magister, Moyses  
 dixit, si quis mortuus fuerit, nō habens filiū, vt ducat frater eius  
 vxorē illius, & suscitet semen fratri suo. Erant autē apud nos septē  
 fratres, & primus vxore ducta defunctus est, ac non habens semē,  
 reliquit vxorem suam fratri suo, similiter secundus & tertius vsq̄  
 ad septimum. Nouissime autem omniū defuncta est & mulier. In  
 resurrectione ergo cuius e septem illius erit vxor? Omnes em̄ ha-  
 buerunt eam. Respondens autē Iesus, ait illis: Erratis, nescientes  
 scripturas neq̄ virtutem dei. In resurrectione enim neq̄ matrimo-  
 nium contrahunt, neq̄ elocantur, sed sunt sicut angeli dei in cælo.  
 De resurrectione vero mortuorum, non legistis quod vobis dictū  
 est a deo, qui ait: Ego sum deus Abrahā, & deus Isaac, & deus  
 Iacob. Deus non est deus mortuorū, sed viuentiū. Et cū audissent  
 turbæ stupuerūt de doctrina eius. pharisæi autē cū audissent, quod  
 silentiū imposuisset Sadducæis conuenerunt in vnum, & interro-  
 gavit eū vnus ex eis legis doctor qui sp̄iā, tentans eum & dicens:  
 Magister, quod est mandatū magnū in lege? Ait illi Iesus: Di-

MATTHÆVM. Fo. XXVII.

liges dominum deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, & in tota mente tua: Hoc est primū & magnum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mādatīs, vniuersa lex et prophetæ pendēt. Congregatis autem pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum dominum, dicens? Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis: Donec ponam inimicos tuos subfellium pedum tuorum. Si ergo Dauid vocat eum dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere quicquā, neq; ausus fuit quisquam ex eo die eum amplius interrogare.

¶CAPVT. XXIII.

Vnc Iesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos, dicens: In cathedra Moysi sedent scribæ & pharisæi. Omnia ergo quæcunq; iusserint vos seruare, seruate, & facite: secundum opera vero eorum nolite facere: Dicunt enim, & non faciunt. Colligant enim onera grauiā difficiliaq; portatu, & imponunt in humeros hominum, cæterum digito suo nolunt ea mouere. Omnia vero opera sua faciunt, vt spectentur ab hominibus. Dilatant autem phylacteria sua, & magnificant fimbrias palliorum suorum. Amantq; primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi. Vos autē nolite vocari rabbi. vnus est enim magister vester, nempe Christus: omnes autē vos fratres estis, Et

F